



# Disputatio juridica inauguralis de constituta pecunia

<https://hdl.handle.net/1874/345155>

26.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
CONSTITUTA PECUNIA.

QUAM  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JACOBI VALLAN,

M.D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,  
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

PRO GRADU LICENTIATUS.

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

JOHANNES WILHELMUS de GROULART, Sylv.-Duc.

*Ad diem 10. Augusṭi horā locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academix  
Typographi, clc lcc xcii.

*Nobilissimis Illustrissimis Gra-  
vissimis VIRIS, DOMINIS*

D. STEPHANO de GROULART,  
Domino de Surister &c. Prætori urbis Trajecti ad  
Mosam & Comitatus Vroenhovienensis. Parenti suo  
plurimùm venerando.

D. D. EVERARDO de WEEDE,  
Toparchæ de Weede, de Dijckvelt, Rateles &c.  
Decano Beatæ Mariæ, Präfidi ordinum Trajecten-  
sium, & eorundem nomine confessui ordinum ge-  
neralium qui Hagæ Comitis est, adscripto, agge-  
rum, qui superiorem Leccæ partem cingunt, præ-  
fecto, plurimis legationibus pro patria prudenter  
& feliciter defunctis inclyto &c. &c. Patruo ma-  
gno suo in æternum Colendo.

D. D. CORNELIO de GANS,  
Equiti Baronetto, Dynastæ de Nulant, Bommene-  
de, Belois &c. &c. Scabinorum Präfidi, urbis Syl-  
væ-Ducis Avunculo suo semper honorando.

*Hanc Disputationem Juridicam Inan-  
guralem dedicat*

*offert & sacram vult*

JOHANNES WILHELMUS de GROULART.

*Auct. & Resp.*



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
CONSTITUTA PECUNIA.

THEISIS I.

**N**erbum *pecuniae* in jure latissimum est, quo veteres omnes res significabant, tam soli quam mobiles, tam corpora quam jura *l. 187.* & *l. 222. ff. de V. S.* quamvis alias tantum pro pecunia numerata accipiatur, ut sub titulo ad *Sen. Conf. Maced.* item aliquando pro rebus, quae pondere, numero & mensura constant. Hic autem latius sumitur pro omnibus rebus, quae sunt in patrimonio nostro, sive sint mobiles sive immobiles ut interpretatur Justinianus in *l. 2. C. de constit. pec.* quia sc., inquit, possibile est omnes res in pecuniam converti, & Jurisconsultus in *l. 42. ff. de fidejuss.* res omnes per pecuniam aestimationem recipere.

A 2

Voca-

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

Vocabulum *constituere* in genere quidem nihil aliud significat quam reponere rem in alterius locum ; hoc tamen in loco denotat firmare & constabilire id , quod antea minus firmum fuit.

### DISPUTATIO I. JURIDICA

Constitutum itaque est pactum , quo quis illi , cum quo paciscitur , debitum vel suum , vel alienum se soluturum , sine stipulatione promittit §. 9. *Instit. de act.* Et quoniam constitutum est pactum , sequitur per epistolam quoque constitui posse l. 24. § 26. ff. b. tit. quare etiam sacer Codex non improbat constitutum in Epistola Pauli ad Philemon. *comm.* 18. cuius verba hæc sunt : *Quod si qua te injuria affecit , aut debitor tibi est , mihi imputa : ego Paulus manu mea scripsi , ego dependam.* Ubi Paulus per Epistolam se ex constituto obligat Philemoni pro servo Onesimo , & quidem ex eo , quod naturaliter debebat servus , quia civiliter jure Romano non obligatur. Quod autem dicitur constitutum fieri pacto , non intelligendum de nudo , sed de eo , quod confirmatione prætoris effectum est legitimum , atque ad hoc confirmatum , ut utiliæ actionem producat l. 6. ff. *de pact.* quia qui constituit , non simpliciter promittit se daturum (ut alias nudo pacto fieri solet ) sed delibera- tè promittit se soluturum , quasi jam debeatur , ideo que non tam novum debitum contrahit , quam contractum agnoscit , & se soluturum profitetur.

III. Hinc

## III.

Hinc liquet multum inter se differre , an promittat quis se daturum , an vero se soluturum . Is enim qui promittit se soluturum , fatetur jam debitum esse , qui vero promittit se daturum , non semper debitum agnoscit . Differunt quoque plurimum à se invicem constitutum & fidejussio (1) quod fidejussio accedat tantum alienæ obligationi , *princ. Instit. de fidejuss.* constitutum etiam propriæ l. 13. ff. b. tit. (2) Aliud pro alio licet constituere l. 1. §. 5. ff. b. tit. in fidejussione non , quia hæc est accessoria , quæ ad principalem se debet accommodare . (3) Quod fidejussio soli civili obligationi accedat l. 12. C. de non num. pec. non vero constitutum l. 3. §. 1. ff. b. tit. (4) Quod constitutor solo consensu , fidejussor vero non nisi certis verbis & formulis obligetur : quia oportet ut interrogatio præcedat & sequatur responsio l. 12. C. de fidejuss. l. 5. §. 2. ff. de verb. obligat . Consensus autem requiritur & in constitente , & in illo cui constituitur , nam duorum consensus necessarius est ; sicut in omni conventione , l. 1. §. 3. ff. de pact. si quis autem constituat alieno nomine , debitoris consensus non est necessarius l. 27. b. tit. in quibusdam tamen convenient , scilicet quod semper alicui obligationi præexistenti accedant l. 3. l. 34. ff. de fidejuss. eamque obligationem non tollant l. 4. C. de fidejuss. item quod constituens iisdem gaudeat beneficiis , quibus fidejussor , l. ult. C. b. tit.

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

### I V.

Constituunt omnes, qui idonei sunt ad contrahendum, sive paterfamilias sive filiusfamilias *l. i. §. 3. ff. b. tit.* tam masculi quam foeminae *l. i. §. 1. ff. eod.* ubi Ulpianus ait: Verbum qui sic accipiemund esse, quasi Praetor ita conceperit edictum, qui, quaeve, ut mulier etiam verbis edicti contineatur, modò constituerit se soluturam quod ipsa debet, non alius, pro alio enim constituens, non obligatur propter *Sen. Conf. Vell.* est enim genus aliquod intercessionis, quum quis constituit se pro alio soluturum, Personæ autem inhabiles ut furiosi, pupilli, prodigi, quia non obligantur, ita nec constituendo quicquam agunt nisi ex tutoris vel curatoris auctoritate. *l. i. §. 2. ff. b. tit.*

### V.

Constituitur porro creditoribus, quibus obligatio ex conventione potest acquiri, non modò patri sed & filio, *l. 7. princ. ff. b. tit.* Tam libero quam servo *l. 5. §. ult. ff. eod.* & si servo constituatur, domino acquirit, etiam bonæ fidei possessori *l. 6. ff. eod.* nec non ex constituto, tutori, curatori, aut auctori municipum facto, adquiritur pupillo, minori, Civitati utilis actio, *l. 5. §. penult. ff. b. tit.* quodsi autem procuratori sit constitutum, domino non acquiritur directa actio, quamquam procuratori, ut ipsi solvatur, constitui possit. *l. 5.*

*l. 5. §. 6. ff. b. tit.* Si quis mihi aut Titio stipulant<sup>i</sup> promittit, posteaque mihi aut Titio solutum sic constitut<sup>i</sup>, sive mihi sive Titio solvat, ipso jure liberatur, quia secundum formam utriusque conventio-  
nis solutio facta est *l. 7. §. 1. ff. b. tit. l. 56. §. 2. ff. de  
verb. oblig. l. 95. §. 6. de solut.*

## V I

Ut autem constituto sit locus, requiritur ut debi-  
tum aliquod præcedens sive proprium, sive alienum  
subsit, nam & pro alio rectè constituimus *l. 11. ff. b.  
tit.* Ex quacunque etiam causa descendat, sive ex  
contra<sup>t</sup>ctu sive ex maleficio, ut si quis mihi debeat  
propter injuriam mihi factam, tenetur ex delicto. Si  
igitur is, qui ita obligatus est, mihi constitut<sup>i</sup> se fo-  
laturum, tenetur de constituta pecunia *l. 29. ff. b. tit.*  
sive sit debitum naturale *l. 1. §. 7. ff. b. tit.* exempli  
gratia, si quis mihi promiserit pacto convento sine  
stipulatione se aliquid facturum, deinde id se solutu-  
rum constitut<sup>i</sup>, adversus eum agitur hac actione con-  
stitutoria. Sive Prætorium *l. 1. §. 8. ff. b. tit.* Sic pa-  
ter & dominus de peculio obstricti sunt si constitue-  
rint. Quod si sit merè civile debitum, cuius petitio  
exceptione elidi potest, veluti si quis vi coactus, aut  
dolo errore inductus quid promiserit, de eo Præ-  
tor constitutæ pecuniæ actionem non dat *l. 3. §. 1. ff.  
b. tit.* ratio hæc reddi potest; Quod debitum civile  
in jure Prætorio, quo inductum est constitutum, ha-  
bitat. *l. IIIV* beatur

## DISPUTATIO JURIDICA

beatur pro non debito. Quod autem non est debitum, super eo non potest constitui. *arg. l. i. §. 6. ff. b. tit.*

### V I I.

Debitum itaque subsit, necesse est, uti jam dictum: quare per errorem constituens, quod se vel alium debere credit, cum non debeat, non tenetur de constituto, & quod solutum est, repeti potest *l. ult. ff. b. tit.* Quid ergo si scienter quis constitutus non debitum? Certè non valet ut constitutum; ratio est, quod pro forma requiratur, ut fiat respectu debiti quod subsit, ut id confirmetur, quod fieri non potest in eo quod non est: huc facit *l. ii. §. 1. ff. b. tit.* ubi, qui constituit se ducentos aureos soluturum, cùm tantùm centum deberet, ad hos centum tantùm tenetur, quia ea tantùm pecunia est debita, ut si nulla debita sit, non teneat constitutum. Costalius tamen in adversariis suis ad dictam legem ii. ait valere constitutum ut donationem, argumento indebiti *l. 9. ff. de conduct. indeb.* sed malè, quia in indebito non fit relatio ad aliudquid, sed principaliter, quod scitur non deberi, solvitur. Nostro verò in casu constituitur quid accessoriè, relatione facta ad aliud, quo casu non potest deficiente principali accessorium valere.

VIII. Non

## VIII.

Non etiam requiritur, ut idem constituatur debitum, nam aliud pro alio, frumentum pro pecuniâ numeratâ constitui potest, quia constitutum fit consentienti creditorî, cui etiam aliud pro alio solvi potest *l. 1. §. 5. ff. h. tit.* neque etiam requiritur, ut eo modo constituatur, quo debetur: Potest enim sub conditione constitui, quod purè debetur: & contrà purè constitui quod sub conditione debetur, *l. 3. §. ult. ff. h. tit. l. 2. C. eod.* quod si tamen hoc posteriori casu, cum conditio deficet, debitum constitutum quoque deficere necesse erit *l. 19. ff. h. tit.* ratio est, quia constitutum sine debito præcedente considerare non potest. Valet etiam constitutum in certum diem *d. l. 19.* quod si autem sine die constituerit quis se solutum, statim quidem debet, verùm petit non potest, sed modicum tempus statuendum est, non minus decem dierum, ut exactio celebretur *l. 21. §. 1. ff. h. tit.* quod singulare est in constituto, fortè ideo, quod constituens se nudo pacto obstringat. Qui decem dies tamen tunc dantur, quando constituitur inter præsentes; quod non idem obtinet in aliis contractibus, in quibus, licet aliquod tempus dandum sit, non tamen decem dierum.

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

## I X.

Denique nihil refert, an certam quantitatem exprimat is, qui constituit, an verò sine quantitate constituat *l. 14. ff. b. tit.* veluti si is, qui mihi debet centum, constitutat se mihi soluturum quod debet, valet constitutum, licet certa quantitas expressa non fuerit. Nulla enim hic incertitudo dici potest, quæ obesse constituto possit, nec ullam incertitudinem continet hic contractus: nam cùm ad aliam obligationem referatur constitutum, non potest dici propter incertitudinem vitiari.

## X.

Effectus constituti consistit partim in eo, ut creditor eò magis sit certus de solutione, partim in producenda actione, quæ vocatur de constituta pecunia, quæ est actio in personam, Prætoria, §. 8. *Instit. de act.*, rei persecutoria *l. 18. §. 1. ff. b. tit.* competens illi, cui per constitutum aliquid promissum, ejusque hæredi *l. 2. C. b. tit.* adversus illos, qui pro se vel pro aliis se soluturos pacto promiserunt, eorumque hæredes. *l. 2. ad id*, quod promissum, præstandum, aut interesse *l. 14. §. 1. ff. b. tit.* Introducta itaque hæc actio est à Prætore, qui favens naturali æquitati, con-

constituta ex consensu facta custodit, quoniam grave est fidem fallere *l. i. ff. h. tit.* Affinis huic actioni fuit olim actio receptitia civilis, quæ dabatur adversus argentarios, qui de debito alieno verbis solennibus constituerant, quæ tamen à Justiniano sublata & in hanc transfusa est *l. 26. h. tit. §. 8. Instit. de act.*

## X I.

Cessat tamen aliquandò actio constitutæ pecuniae, & quidem 1. si quis constituerit non animo constituendi *l. i. §. 4. ff. h. tit.* 2. Si quis mihi constituerit se alii, verbi gratia Sempronio soluturum, hoc casu constitututum nullum est, nec mihi tenetur, cui non promisit, nec Sempronio, cui per me obligatio non acquiritur *l. 5. §. 5. ff. eod.* 3. Si quis constituerit alium soluturum, non se pro alio *l. 5. §. 4.* 4. Si conditio debiti defecerit *l. 19. h. tit.* denique vitiant constitutum verba impersonaliter prolata *auth. si quando C. h. tit.* verbi gratia, *satisfacis?* Respondeatur *satisfaciens Novell. 115. Cap. 6.*



CO-

# COROLLARIA.

I.

*Consensus non concubitus facit nuptias.*

II.

*Negotiorum gestor tenetur etiam de culpa  
levissima.*

III.

*Vendor non tenetur præcisè rem tradere  
sed liberatur præstando interesse.*

IV.

*Transactio super re certâ vel judicatâ  
facta, nullius est momenti.*

F I N I S.